

Alte Drucke

**M. T. CICE=||RONIS EPISTO-||LAE AD COMPLVRES ||
SCRIPTAE, QVAS VVLGO || FAMILIARES APPEL=||LARVNT, ||
CVM ARGVMENTIS GI-||berti Longolij, editæ || DE ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1566

VD16 ZV 30873

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD PLANCVM, ET CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149860

una non modo non contra legem, si ulla nunc lex est,
sed etiam intra legem, & quidem aliquanto: quare
nihil est, quod aduentum nostrum extimescas.

Non multi cibi hospitem accipies, sed
multi ioci. vale.

M A R C I T V L L I

CICERONIS EPISTOLARVM

LIBER AD PLANCVM,

ET CAETEROS.

M. T. C. CN. PLANCO IMP.

CONS. DESIG. S. D.



T abfui proficiscens in Gra-
ciam, et postea quam de meo
cursu Reipublicae sum uoce
reuocatus, nunquam per M.
Antonium quietus fui: cuius
tanta est non insolentia (nam
id quidem vulgare uicium est)
sed immanitas, non modo ut

uocem, sed ne uultum quidem liberum possit ferre
cuiusquam. Itaque mihi maxima cura est, non de
mea quidem uita, cui satisfeci, uel etate, uel saluti,
uel (si quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: sed
me patria sollicitat, inprimisq; mi Plance expecta-
tio consulatus tui, quae ita longa est, ut optandum
sit, ut possimus ad id tempus Reipub. spiritum ducere.
Quae potest enim spes esse in ea repub. in qua homi-
nis impudicissimi, atque intemperatissimi armis op-
pressa

pressa sunt omnia? Et in qua nec senatus, nec populus uim habet ullam: nec leges ullæ sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod aut uestigium ciuitatis. Sed quādo acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptū non seruauit solum, sed etiā auxi: monere te atq; hortari, ut in Rempub. omni cogitatione, curaq; incumberes. Quæ si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est: ut perducatur autem, magnæ tum diligentia est, tum etiam fortuna. Sed Et te aliquanto ante (ut spero) habebimus, Et præterquam quod Reipub. consulere debemus, tamen tuæ dignitati ita fauemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam cōferamus. Ita facillime Et Reipub. quæ mihi carissima est, et amicitia nostræ, quam sanctissime nobis colendam putō, me intelligo satisfacturum. Furnum nostrum cūti de fieri, quātum ipsius humanitas, Et dignitas postulat, nec miror, Et gaudeo: teq; hoc existimare uolo, quicquid in eum iudicij, officijq; contuleris, id ita me decipere, ut in me ipsum te putem contulisse. Vale.

M. C. CN. PLANCO IMP. CON.

DES. S. D.

Meum studium honori tuo non defuisset pro necessitudine nostra, si aut tuto in senatū: aut honeste uenire potuissem, sed nec sine periculo quisquam libere de Repub. sentiens uersari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostræ dignitatis uideretur esse

se, tibi sententiam de Repub. dicere, ubi me & melius
& propius audiant armati, quam senatores. Quapro-
pter in priuatis rebus nullum neq; officium, neq; studi-
um meum desiderabis, ne in publicis quidem, si quid
erit, in quo me interesse necesse sit, nunquam deero,
ne cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In ijs au-
tem rebus, quæ nihilo minus, ut ego absim confici possunt,
peto a te ut mei rationem habere uelis & pu-
litis & dignitatis meæ. Vale.

M. T. C. CN. PLANCO IMP.

181 CONS. DES. S. D.

Cum ipsum Furnium per se uidi libentissime, tum
hoc libentius, quod illum audiens, te uidebar au-
dire. Nam & in re militari uirtutem, & in adminis-
tranda prouincia iusticiam, & in omni genere pro-
dentiam mihi tuam exposuit: & præterea mihi in-
ignotam in consuetudine, & familiaritate suauitatem
tuam adiunxit, præterea summam erga se liberalita-
tem. Quæ omnia mihi iucunda, hoc extremum etiam
gratum fuit. Ego Plance necessitudinem consilium
tam habui cum domo uestra, ante aliquanto, quam tu
natus es, amorem autem erga te ab ineunte pueritia
tua, confirmata iam ætate familiaritatem cum studio
meo, tum iudicio tuo constitutam. His de causis mi-
rabiliter faueo dignitati tuæ, quam mihi tecum, statim
esse communem. Omnia summa consecutus es, uir-
tute duce, comite fortuna: eaq; es adeptus adolescens,
multis inuidentibus, quos ingenio, industriaq; fregis-
sti. Nunc me amantissimum tui nemini concedentem,
qui tibi uetustate necessitudinis potior possit esse, si
audies,

audies, omnem tibi reliquæ uitæ dignitatem ex opti-
mo Reipub. statu acquires. Scis profecto (nihil enim
te fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homi-
nes existimarent, te nimis seruire temporibus: quod
ego quoque existimarem, si te ea, quæ patiebare, pro-
basse etiam arbitrarer. Sed cum intelligerem, quid
sentires, prudenter te arbitrabar uidere, quid posses.
Nunc alia ratio est omnium rerum: tuum iudicium est,
idq; liberum, consul es designatus, optima ætate, sum-
ma eloquentia, maxima orbitate Reipub. uirorum ta-
lium: incumbere per deos immortales in eam curam, &
cogitationem, quæ tibi summam dignitatem & glo-
riam afferat. Vnus autem est hoc præsertim tempo-
re, per tot annos Reipub. deuexata, Reipub. bene ge-
rendæ cursus ad gloriam. Hæc amore magis impulsus
scribenda ad te putauī, quam quod arbitrarer te mo-
nitis & præceptis meis egere. Sciebam enim ex iisdē
te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauserā. Qua
re modum faciam. Hoc tantum significandum putauī,
ut potius amorem tibi ostenderem mecum, quam ostē-
tarem prudentiam. Interea quæ ad dignitatem tuam
peruīnere arbitrabor, studiose, diligenter quæ curabo.
Vale.

PLANCVS CICERONI S. D. 182

7
Carissima mihi tuæ literæ fuerūt, quas ex Fur-
nii sermone te scripsisse animaduerti. Ego au-
tem præteriti temporis excusationem affero, quod te
perfectum audieram, nec multo ante redisse sciui, quam
ex epi. sola tua cognoui. Nullum enim in te officium
ne minimum quidem sine maxima culpa uideor pos-
se

se præterire: in quo tuendo habeo causas plurimas
 uel paternæ necessitudinis, uel meæ a puericia obser-
 uantiæ, uel tui erga me mutui amoris. Quare mi Ci-
 cero, quod mea, tuaq; patitur ætas, persuade tibi te
 unum esse in quo ego colendo patriam mihi constitu-
 erim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi
 non magis prudentiæ plena, quæ summa est, uidetur,
 quam fidelitatis, quam ego ex mea conscientia me-
 or. Quare si aut aliter sentirem, certe admonitio tua
 me reprimere, aut si dubitarem, hortatio impelleret
 posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares.
 Nunc uero quid est, quod me in aliam partem trahere
 possit? Quæcumq; in me bona sunt, aut fortuna
 beneficio tributa, aut meo labore parita, et si a te pro-
 pter amorem carius sunt æstimata: tamen uel inimi-
 cissimi iudicio tanta sunt, ut præter bonam famam mihi
 desiderare uideantur. Quare hoc unum tibi per-
 suade: quantum uiribus eniti, consilio providere, au-
 toritate mouere potuero, hoc omne Reipub. semper
 futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus, neq; si fa-
 cultas optabilis mihi quidem tui præsentis esset, nulla
 quam a tuis consilijs discreparem: nec cum commu-
 tam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis.
 Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia
 citiore, quid in urbe Ianuario mense geratur, ut
 sciam. Interim maximam hic sollicitudinem, curam
 que sustineo, ne inter aliena uicia hæc gētes nostræ ma-
 la suam putent occasionem. Quod si perinde, ut ipse
 mereor, mihi successerit: certe et tibi, cui maxime ca-
 pio, et omnibus uiris bonis satisfaciam. Fac ualeas,
 meq; mutuo diligas.

Binas a te accepi literas eodem exemplo: quod
 ipsum argumento mihi fuit diligentiae tuae. Intellexi enim te laborare, ut ad me tuae expectatissimae
 literae perferrentur. Ex quibus cepi fructum dupli-
 cem, mihiq; in comparatione difficilem ad iudican-
 dum, amorene erga me tuum, an animum in Rempu-
 blicam pluris aestimandum putarem. EST OMNI-
 NO PATRIAE caritas meo quidem iudicio ma-
 xima: sed amor, uoluntatisq; coniunctio plus certe ha-
 bet suauitatis. Itaq; commemoratio tuae paternae ne-
 cessitudinis, beneuolentiaeq; eius, quam erga me a pu-
 ericia contulisses, cæterarumq; rerum, quæ ad eam
 sententiam pertinebant, incredibilem mihi læticiam
 attulit. Rursus declaratio animi tui, quem haberes
 de Republica, quemq; habiturus esses, mihi erat iu-
 cundissima: eoq; maior erat hæc læticia, quod ad illa
 superiora accedebat. Itaq; te non hortor solum mi-
 place, sed plane etiam oro, quod feci his literis, qui-
 bus tu humanissime respondisti, ut tota mente, omni-
 que animi impetu in Rempublicam incumbas. Nihil
 est, quod tibi maiori fructui gloriæq; esse possit: nec
 quicquam ex omnibus rebus humanis est præclarius,
 aut præstantius, quam de Repub. bene mereri. Ad
 hoc enim patitur tua summa humanitas & sapientia
 me, quod sentiam, libere dicere. Fortuna suffra-
 gante uideris res maximas consequutus: quod quan-
 quam sine uirtute non potuisses, tamen ex maxima
 parte ea, quæ es adeptus, fortunæ temporibusq; tri-
 buens

brantur. His temporibus difficilimis Reip. quicquid
subueneris, id erit totum, & proprium tui. Incredi-
bile est omnium ciuium, latronibus exceptis, odium in
Antonium. Magna spes in te, & in tuo exercitu magna
expectatio. Cuius per deos gratia gloriaque caue re-
pus amittas. Sic moneo, ut filium: sic faueo, ut mihi, sic
hortor, ut & pro patria & amicissimum. Vale.

CICERO PLANCO IMP. CONS.
DESIG. S. D.

184

Qua locutus est Furnius noster de animo tuo in
Rempublicam, ea gratissima fuerunt. Sena-
tui: P. Q. R. probatissima: quae autem recitatae sunt
literae in senatu, nequaquam consentire cum Furnij
oratione uisae sunt. Pacis enim autor eras, cum colle-
ga tuus, uir clarissimus a foedissimis latronibus obfide-
retur: qui aut positis armis, pacem petere debent:
aut, si pugnantes eam postulant, uictoria pax, non
pactione parienda est. Sed de pace literae uel Lepidi,
uel tuae, quam in partem acceptae sint, ex uiro popu-
li mo fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoscere.
Me autem impulit tui caritas, ut quanquam nec tibi
ipsi consilium deesset, & fratris, Furnijque beneuolentia,
fidelisque prudentia tibi praesto esset futura,
uellem tamen meae quoque autoritatis pro plurimis no-
stris necessitudinibus praecipuum ad te aliquod perue-
nire. Crede igitur mi Plance, omneis, quos adhuc gra-
uis dignitatis consecutus sis (es autem adeptus amplissi-
mos eos honorum uocabula habituros, non dignita-
tis insignia, nisi te cum libertate Populi Rom. & Sena-

Senatus autoritate coniunxeris, Seiumge te, quæso aliquando ab ijs, cum quibus te non tuum iudiciũ, sed temporum uincula coniunxerunt. Complures in perurbatione Reip. Consules disti, quorum nemo Consularis habitus, nisi qui animo extitit in Kemp. consulari, talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorũ ciuium tui dissimilimorum societate seiumgas: deinde te Senatui, bonisq; omnibus autorem, principem, ducem præbeas: postremo, ut pacem esse iudices non in armis possitis, sed in abiectio armorum, & seruitutis metu. Hæc si & ages, & senties, tum eris non modo consul & consularis, sed magnus etiam consul & consularis. Sin aliter, tua in istis amplissimis nominib; honorum, non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas. Hæc impulsus beneuolentia scripsi paulo seuerius, quæ tu in experiundo ea ratione quæ te digna est, uera esse cognoscēs. Datum XIII. Calend. Aprilis. Vale.

NON. PLANCVS IMP. CONS. DES.

LIBIG. J. J. CICERONI S. D.

183

PLura tibi de meis consilijs scriberem, rationemque omnium rerum redderem uerbosius, quo magis iudicares omnia me Reip. causa præstitisse, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi (non minus enim a te probari, quam diligere, semper uolui: nec te magis in culpa defensorem mihi parau, quam prædicatorem meritorũ meorum esse uolui) sed breuiorem me tuæ res faciunt: una, quod publicis literis omnia sum persecutus: altera, quod M. Varijidium equitem Romanum familiarem meum

Ad

ad te ipsum transire, iussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non medijsfidijs mediocri dolore afficiebar, cum alij occupare possessionem laudis uiderentur: sed usq; mihi temperaui, dum producerem eo rem, ut dignum aliquid & cōsulatu meo, & uestra expectatio ne efficerem. Quod spero, si me fortuna non sefili- rit, me consecuturum, ut maximo præsidio Reipubli- cæ nos fuisse, & nunc sentiant homines, & in pos- tum memoria teneant. A te peto, & dignitati meæ suffrageris: & quarum rerum spe ad laudē me uoca- sti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minus posse te, quam uelle exploratum mihi est. Fac ut ualeas, meq; mutuo diligas. Vale.

CN. PLANC. IMP. CONS. DES.

S. P. D. CONSS. PR. TRIB.

PLEB. SENA. POP. PLEB.

186

BIQVE ROM.

SI cui forte uideor diutius & hominum expecta- tionem, & spem Reipublicæ de mea uoluntate tenuisse suspensam: huic prius excusandum me esse ar- bitror, quam de insequenti officio quicquam ulli polo- licendum. Non enim præteritam culpam uideri uolo redemisse: sed optimæ mentis cogitata, iam prudens maturo tempore enunciare. Non me præteribat, in tanta solitudine hominum, & tam perturbato statu ciuitatis fructuosissimam esse professionem bonæ uoluntatis: magnosq; honores ex ea re compluribus consecutos uidebam, sed cum in eum casum me fortuna demisisset, ut aut celeriter pollicendo magna mihi ipse ad proficiendum impedimenta opponerem: aut

fin

si in eo mihi temperauissem, maiores occasiones ad optulandum haberem: expeditius iter communis salutis quam meae laudis, esse uolui. Nam quis in ea fortuna quae mea est, & ab ea uita quam in me cognitam hominibus arbitror & cum ea spe quam in manibus habeo, aut sordidum quicquam pati, aut perniciosum concupiscere potest? Sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multae impensae opus fuit, ut quae Reip. bonisque omnibus polliceremur exitu praestaremus, neque ad auxilium patriae nudi cum bona uoluntate, sed cum facultatibus accederemus. Confirmatus erat exercitus nobis, magnis saepe premiis sollicitatus, ut a Repub. potius moderata, quam ab uno infinita speraret. Confirmandae complures ciuitates, quae superiore anno largitionibus, concessionibusque praemiorum erant obligatae: ut & illa uana putarent, & eadem a melioribus autoribus petenda existimarent. Alliciendae etiam uoluntates reliquorum, qui finitimis prouincijs exercitibusque praesuerunt: ut potius cum pluribus societatem defendendae libertatis iniremus, quam cum paucioribus sine tam orbi terrarum uictoriam pararemus. Munienti uero nosmetipsi fuimus, aucto exercitu, auxiliisque multiplicatis: ut, cum praestiteremus sensus aperte, tum etiam inuitis quibusdam, sciri quid defensori essemus, non esset periculosum. Itaque nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum peruenirem, & simulasse inuitum, & dissimulasse cum dolore: quod praematura denuntiatio boni ciuis imparati, quam periculosa esset, ex casu collegae uidebam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, uiro forti atque strenuo, plura etiam uerbo

T

quam

quam scriptura mandata dedimus: ut & testius ad nos perferrentur, & nos essemus tutiores: quibusq; rebus & communem salutem muniri, & nos armari conueniret, præcepimus. Ex quo intelligi potest, curam Reipub. summæ defendendæ iam pridem apud nos excubare. Nunc cum Deum benignitate ab omni re simus paratiores: non solum bene sperare de nobis homines, sed explorare iudicare uolumus. Legiones habeo quinq; sub signis, & sua fide uirtuteq; Reipublicæ coniunctissimas, & nostra liberalitate nobis obsequentes. Prouinciam omnium ciuitatum consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem equitatus, auxiliorumq; tantas copias, quantas hæc gentes ad defendendam suam salutem, libertatemq; conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus uel prouinciam tueri, uel ire quo Respublica uocet, uel tradere exercitum, auxilia, prouinciæq; ut uel omnem impetum belli in me conuertere non recusem, si modo meo casu aut confirmare patriæ salutem, aut periculum morari possim. Hæc si iam expeditis omnibus rebus, tranquillosq; statu ciuitatis polliceor in damno meæ laudis, Reipublicæ commodo letabor: sin ad societatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam, consilia mea æquis iudiciis ab obtreptatione inuidorum defendenda commendo. Mibi quidem ipsi fructus meritorum meorum in Reipublicæ incolumitate satis magnus est paratus. Eos uero, qui meam auctoritatem & multo magis uestram fidem secuti, nec ulla spe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos uobis habeatis, petendum uidetur. Valete.

Plan.

PLANCVS IMP. CONS. DES.

CICERONI S. P. D.

187

9

Nihil me tibi temere scripsisse, aut te cæteris de me frustra recepisse, lætor. Certe hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi, quam cæteris, consilia mea uolui esse nota. Indies uero meorum meorum fieri acceptiones peruidere te spero: cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet mi Cicero (ita ab imminetibus malis Respub. me adiuuante liberetur) sic honores, præmiaque uestra suspicio. confrenda certe cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio perseverantiaque sim remissurus; nisi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit singularis, & opera præcipua: nihil ad meam dignitatem accedere uolo suffragatione uestra. concupisco autem nihil mihi: contraque ipse pugno: sed & tæporis & rei te moderatorem, facile patior esse. Nihil aut sero aut exigue a patria ciui tributum potest uideri. Exercitum ad VI. Calend. Maias Rhodanum traieci magnis itineribus. Viennam equites mille uia breuiore præmisi. ipse, si a Lepido non impediatur, celeritate satisfaciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco & genere, & numero, & fidelitate firmissimas. Te, ut diligas me, si mutuo me facturum id scis, rogo. Vale.

CICERO PLANCO IMP. CONS.

DESIG. S. D.

188

Et si satis ex Furnio nostro cognoueram, quæ tua uoluntas, quod consilium de Republica esset: tas

T 2.

men

men lectis tuis literis, liquidius de toto sensu tuo iudici
caui. Quamobrem quāquam in uno praelio omnis for-
tuna Reipub. discepat: quod quidem cum hæc lege-
res, iam decretum arbitrabar fore: tamen ipsa fama
quæ de tua uoluntate percrebuit, magnam es laudem
consecutus. Itaq; si consulem Romæ habuissemus, de-
claratum esset a senatu cum tuis magnis honoribus,
quam gratus esset conatus & apparatus tuus. Cuius
rei non modo non præterijt tempus, sed ne maturam
quidem etiamnum, meo quidem iudicio fuit. IS E-
NIM DENIQUE bonos mihi uideri solet, qui
nū propter spem futuri beneficij, sed propter magna
merita claris uiris defertur & datur. Quare, si mo-
do aliqua Respub. in qua honos elucere possit, omni-
bus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. IS
AVTEM, qui uere appellari potest honos non inui-
tamentum ad tempus, sed perpetuæ uirtutis est præ-
mium. Quamobrem mi Plance incumbe toto pectore
ad laudem, subueni patriæ, opitulare collegæ, omni-
um gentium consensum & incredibilem conspiratio-
nem adiua. Me tuorū consiliorum adiutorem, digni-
tatis fautorem, omnibus in rebus tibi amicissimum fi-
delissimumq; cognosces. Ad eas enim causas, quib; in-
ter nos amore sumus, officijs, uetustate coniuncti, pa-
triæ caritas accessit, eaq; effecit, ut tuam uitam ante-
ferrem meæ. IIII. Calend. Aprilis. Vale.

CN. PLANC. IMP. CONS. DES.

189

CICERONI S. P. D.

Immortaleis ago tibi gratias, agamq; dum uiuam:
nam relaturum me, affirmare non possum. Tantis

CICERO

enim tuis officijs non uideor mihi respondere posse : nisi forte (ut tu grauissime disertissimeq; scripsisti) ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Si de filij tui dignitati esset actum, amabilius certe nihil facere potuisses. Primæ tuæ sententiæ infinitis cum muneribus : posteriores ad tempus, arbitriumq; amicorum meorum compositiæ, oratio assidua & perpetua de me iurgia cum obirectoribus propter me, notissima mihi sunt. Quare non mediocriter adhibenda mihi est cura, ut Reipublica me ciam dignū tuis laudibus præstem, in amicitia tua meo morem atq; gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere : & me, si quem esse uoluisti, cum exitu rebusq; cognosces, defende ac suscipe, cum Rhodanum copias traiecissem, fratremq; cum tribus millibus equitum præmissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem, in itinere de prælio facto, Brutoq; & Mutina, obsidione liberatis, audiui. Animaduerti nullum alium receptum Antonium, reliquiasq; quæ cum eo essent, habere, nisi in his partibus. duasq; ei spes esse propositas unam Lepidi ipsius, alteram exercitus. Quod quædam pars exercitus non minus furiosa est, quam qui cum Antonio fuerunt, equitatum reuocaui. Ipse in Allobrogibus cõstiti, ut perinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si nudus huc se Antonius confret, facile mihi uideor per me sustinere posse, remq; publicam ex uestra sententia administrare quāuis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si uero copiarum aliquid secum adducet : etsi decima legio ueterana, quæ nostra opera reuocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit, tamen ne quid detrimenti

fiat, dabitur opera a me: idq; me praeſtiturum ſpero, dum iſtinc copia trajciantur, coniunctaq; nobiſcum facilius perditos opprimant. Hoc tibi ſpondeo mihi cetero, neq; animum, nec diligentiam mihi deſuturam. Cupio mehercules nullam reſiduam ſolicitudinem eſſe. Sed ſi fuerit, nec animo, nec beneuolentiae, nec patientiae cuiuſquam pro uobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei ſocietatem incitem, omniaq; ei obſequia polliceor, ſi modo Rem publicam reſpicere uolet. Vtor in hac re adiutoribus, interpretibuſq; fratre meo & Laterenſe & Furnio noſtro. Non me impediunt priuatae offenſiones, quominus pro Reipublicae ſalute, etiam cum inimiciſſimo conſentiam. Quod ſi nihil proficero, nibilo minus maximo ſum animo, & maiore fortasſe cum mea gloria uobis ſatiſfaciam. Fac ualeas, meq; mutuo diligas,

CICERO PLANCO. IMP. CON.

DES. S. D.

ET ſi Reipub. cauſſa maxime gaudere debeat, tamen ei te praeſidij, tantum opis attuliſſe extremis pene temporibus: tamen ita te uictorem complectar Republica recuperata, ut magnam partem mihi laetitia tua dignitas aſſerat, quam et eſſe iam & futura ampliſſimam intelligo. Caue enim putes ullaſ tuas unquam gratiores, quam tuas, in ſenatu eſſe recitatatas. Idq; contigit tum meritorum tuorum in Reipub. eximia quadam magnitudine, tum uerborum, ſententiarumq; grauitate. Quod mihi quidem nimis me nouum, qui & te noſſem, et tuarum literarum ad

me missarum promissa meminisssem, & habere a Furio nostro tua penitus cōsilia cognita: sed senatui maiori uisa sunt, quam erant expectata: non quo unquā de tua uoluntate dubitasset: sed nec, quantum facere posses, nec quo progredi uelles, exploratum satis habebat. Itaque cum ad VIII. Idus Aprilis mane mihi tuas literas Marcus Varisidius reddidisset, easq; legissem, incredibili gaudio sum elatus. Cumque magna multitudo optimorum uirorum & ciuium me de domo deduceret, feci continuo omneis participes meae uoluptatis. Interim ad me uenit Mumatius noster, ut consueuerat: & ego ei literas tuas dedi: nihil dum enim sciebat: nam ad me primum Varisidius: idq; sibi a te mandatum esse dicebat. Paulo post idem mihi Mumatius eas literas legendas dedit: quas ipse miserat et eas quas publice. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum prætorem urbis literas deferremus, qui, quod Consules aberant, Consulare munus sustinebat more maiorum. Senatus est continuo conuocatus, frequensque conuenit propter famam atq; expectationem tuarum literarum. Recitatis literis oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitui, non satis diligenter eum auspicijs operam dedisse. Idq; a nostro collegio comprobatum est. Itaque res delata est in posterum. Eo autem die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Seruilio: qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronunciaretur, frequens eum Senatus reliquit, & in alia omnia discessit meaq; sententiae, quae secunda pronunciata erat, cum frequens assentiretur senatus, rogatu Seruilij P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. Venit paratus Seruilius.

lius, tui ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur.
 Hunc quemadmodum fregerim, quantaq; contentio-
 ne Titium intercessorem abiecerim, ex aliorum te li-
 teris malo cognoscere. Vñ hoc ex meis: Senatus gra-
 uior, constantior, amicius tuis laudibus esse non potu-
 it, quam tum fuit. Nec uero tibi senatus amicius quam
 cuncta ciuitas. Mirabiliter enim populus Romanus u-
 niuersus, & omniū generum ordinumq; consensus ad
 liberandam Rempublicam conspirauit. Perge igitur,
 ut agis, nomenq; tuum commenda immortalitati: atq;
 hæc omnia, **QVAE HABENT** speciem glo-
 riæ, collecta ex inanissimis splendoris insignibus, con-
 temne: breuia, fugacia & caduca existima. **VERVM**
DECVS in uirute positum est, quæ maxime illu-
 stratur magnis in Remp. meritis: Eam facultatem ha-
 bes maximam: quam quando complexus es, & tenes,
 perfice, ut ne minus Respub. tibi, quam tu Reipub. de-
 beas. Me tuæ dignitatis non modo factorem, sed etia-
 am amplificatorem cognosces. Id tum Reipublicæ,
 quæ mihi est mea uita carior, tum nostræ necessitudi-
 ni debere me iudico. Atq; in his curis, quas contuli
 ad dignitatem tuam, cepi magnam uoluptatem, quod
 bene cognitam mihi T. Munatij prudentiâ et fidem
 magis etiam perspexi in eius incredibili erga te bene-
 uolentia & diligentia. **III. Idus Aprilis. Vale.**

CICERO PLAN. IMP. CONS.

191

DES. S. D.

VT primum potestas data est augendæ dignita-
 tis tuæ, nihil prætermisi in te ornando, quod
 positū esset aut in præmio uirtutis, aut in honore uer-
 borum

horum. Id ex ipso senatusconsulto poteris cognosce-
re: ita enim est perscriptum, ut a me de scripto dicta
sententia est: quam senatus frequens sequutus est sum
mo studio, magnoq; consensu. Ego quanquam ex tuis
litteris, quas mihi misisti, perspexeram te magis iudicio
bonorum, quam insignibus gloriæ delectari: tamē
considerandum nobis existimaui, etiamsi tu nihil po-
stulares, quantum tibi a Republica deberetur. Tu
contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antoni-
um oppresserit, is bellum confecerit. Itaq; Homerus
non Aiacem, nec Achillem, sed, Vlyssē appellauit
πρωτογενον. *DEPASTOR ATIS.*

CICERO PLANCO. IMP. CON.

DES. S. D.

192

O Gratam famam biduo ante uictoriam, de sub-
dio tuo, de studio, de celeritate, de copys. At
qui etiam hostibus fufis, spes omnis in te est. Fugisse
enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latro-
num duces. **EST AVTEM** non minus gratum
extrema delere, quam prima depellere. Equidem ex-
pectabam iam tuas literas, idq; cum multis. Spera-
bamq; etiam Lepidum temporibus admonitum, tibi
& Republicæ satis esse facturum. In illam igitur cu-
ram incumbe mi Plance, ut ne qua scintilla teterrimi
belli relinquatur. Quod si erit factum, & Rempub.
diuino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam
consequere. Tertio Idus Maij. Vale. *Idus 13. May*

PLANCVS PRAET. CIC.

S. P. D.

193

T 5

His

His literis scriptis, quæ postea accidissent, scire te, ad Rempublicam putavi pertinere. Sed ultas mea (ut spero) & mihi & Reipublicæ tulit fructum. Namq; assiduus internuncijs cum Lepido egi, ut omnia omnia contentione reconciliataq; uoluntate nostra, communi consilio Reipub. succurreret: se, liberos, arborem pluris, quam unum perditum abiectumq; laudem neminem putaret: obsequio meo, si ita faceret, ad omnes res abuteretur. Profeci itaq; per Laterensem internuncium: fidem mihi dedit, se Antonium, si prohibere sua prouincia non potuisset, bello persecuturum. Me ut uenirem, copiasq; coniungerem, rogauit: eoq; magis, quod et Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat. Nam etiam ex paucitate eius, non multis ante diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me transierunt. Quibus rebus ego cognitis: cunctatus non sum in cursu bonorum consiliorum: Lepidum adiutorem putavi. Aduentus meus quid profecturus esset, uidi, uel quod equitatu meo persequi, atque opprimere equitatum eius possem: uel quod exercitus Lepidi: et partem, quæ corrupta est, & a Republica alienata, & corrigere & coercere presentia mei exercitus possem. Itaq; in Isara flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum ad quartum Idus May traduxi. Cum uero mihi nuntiatus esset, Lucium Antonium præmissum cum equitibus & cohortibus ad Forum Iulij uenisse: fratrem cum equitum quatuor millibus, ut occurreret et misi ad pridie Idus May. Ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equo

ratu subsequar. Si nos mediocris modo fortuna Reipub. adiuuerit, & audaciæ perditorum, et nostræ sollicitudinis hic finem reperiemus. Quod si latro præcognito nostro aduentu, rursus in Italiam se recipere ceperit, Bruti erit officium occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. Ego autem, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam qui sequatur Italiamq; a uastatione defendat. Fac ualeas, meq; tuo diligas.

CICERO PLANCO SVO. S. D. 194

Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidē ipso opportunius accidere uidi, quam tuas Plance literas. Redditæ sunt enim frequenter i senatu Cornuto, cum is frigidas sane, & inconstanteis recitasset literas Lepidi: sub eas statim recitatæ sunt tuæ, non sine magnis quidem clamoribus. Cum rebus enim ipsis essent, & studijs, beneficijsq; in Rempub. gratissimæ: tum erant gratissimis uerbis, & sententijs plenæ. Flagitare senatus institit Cornutū, ut referret statim de tuis literis ille se considerare ait uelle. Cum ea magnum consilium fieret cuncto a senatu, quinq; Trib: Pleb. retulerunt. Seruilius rogatus, rem distulit. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unū: ea, quæ fuerit, ex senatus consulto cognoscēs. Tu quanquam consilio non egēs, uel abundes potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc reiicias: neue in rebus tam subitis tamq; angustis a senatu consilium petendum putes. Ipe tibi sis senatus, quocumq; te ratio Reipub. ducet, sequare. Cures, ut ante factum aliquod a te egregium

gium audiamus, quam futurum putauimus. Illud tibi promitto, quicquid a te erit factum, id senatum non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum. Vale.

125 PLANCVS CICERONIS P. D.

Antonius Idibus Maijs ad forum Iulij cum primis copijs uenit: Ventidius bidui spacio abest ab eo. Lepidus ad Forum Voconij castra habet: qui locum Foro Iulij quatuor & uiginti millia passuum abest: ibique me expectare, constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Quod si omnia mihi integra & ipse & fortuna seruauerit, recipio uobis, celeriter me negocium ex sententia confecturum. Fratrem meum diuis laboribus concursationibusque confectum, grauer se habuisse, antea tibi scripsi: sed tamen cum primum posse ingredi coepit, non magis sibi, quam Reipublicae conualuisse se existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. Sed ego eum non solum hortatus sum, uerum etiam coegi isto proficisci: quod & illa ualitudine magis conficere se, quam me inuare posset in castris: & quod accerbissimo interitu ciuilium Rempublicam nudatam, tali ciue praetore in urbanis officijs indigere existimabam. Quod si quis uestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tandem, quod ego desiderabam, fecit, ut Appellum ad me mitteret, quo obside, fide illius & societate in Republica administranda uterer. Studium in eare suum mihi L. Gellius, de tribus fratribus Segulianis probauit: quo ego interprete nouissime ad Lepidum

dum sum usus, amicum eum Reipublicæ cognoscere
uideor libenterq; ei sum testimonio, & omnibus ero,
qui bene merentur. Fac ualeas, meq; mutuo diligas,
dignitatemq; meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc
singulari cum beneuolentia fecisti.

PLANCVS CICERONI S. D. 196

18

Quid in animo habuerim cum Leernus, Neruag;
discesserunt a me, et ex literis, quas ei dedi,
& ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus
consilijsq; meis interfuerunt. Accidit mihi, quod
homini prudenti, & cupido satisfaciendi Reipub.
bonisq; omnibus accidere solet: ut consilium sequeretur
periculosum magis, dum me probarem, quam tutum,
quod habere posset obrectationem. Itaq; post dis-
cessum legatorum cum binis continuis literis & Lea-
pidus me, ut uenirem, rogaret, & Laterensis multo
etiam magis prope implorans obtestaretur: nullam
rem aliam extimescens, quam eandem, quæ mihi nunc
quoq; facit timorem, uarietatem atq; infidelitatem ex-
ercitus eius non dubitandum putauit, quin succurre-
rem, meq; communi periculo offerrem. Sciebam
enim, quanto cautiùs illud erat consilium, expectare
me ad Isaram, dum Brutus traiceret exercitum: &
cum collega consentiente, sicut milites faciunt, hosti-
bus obuiam ire. Tamen si quid Lepidus bene senti-
ens, detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut
pertinaciæ meæ, aut timori uidebam, si aut hominem
offensum mihi, coniunctum cum Reipub. non subleuas-
sem: aut ipse a certamine belli tam necessarij me re-
mouissem. Itaq; potius periclitari uolui, si possem meæ
præ

præsentia & Lepidum tueri & exercitū facere meliorem, quam nimis cautus uideri. Sollicitiorem certe hominem non suis contractis, neminem puto fuisse. Nā quæ res nullam habebat dubitationem, si exercitus Lepidi absit: ea nunc magnam affert sollicitudinem, magnumq; habet casum. Mihi enim si contigisset, ut prior occurrerem Antonio, non mehercule horā contigitisset: tantum ego & mihi confido: & sic perdas illius copias, Ventidijq; Mulionis castra despicias. Sed non possum non exhorrescere, si quid intra castra subest uulneris, quod prius nocere potest, quam sciri curariq; possit. Sed certe nisi me uno loco tenerem, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret, quæ bene de Republica sentit. Magni etiam perditī hostes acceSSIONem sibi fecissent, si quas copias a Lepido abstraxissent. Quæ si aduentus meus represserit, agā gratias fortunæ, constantiaq; meæ, quæ me ad hanc experientiam excitauit. Itaq; ad XIII. Calendas Iunias ab Isara castra moui: pontem tamen, quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positis reliqui: præsidiaq; ibi firma posui, ut uenienti Bruto, exercituiq; eius sine mora transitus esset paratus. Ipse ut spero, diebus octo, quibus has literas dabam cum Lepidi copijs me coniungam. Vale.

Quanquam gratiarum actionem a te non desiderabam, cum te re ipsa, atq; animo scirem esse gratissimum: tamen (satis enim est) fuit et mihi perincunda. Sic enim uidi, quasi ea quæ oculis

cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper quidem, sed nunquam illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt senatui, cum reb. ipsis, quæ erant gravissime & maxime fortissimi animi, summiq; consilij: tum etiam gravitate sententiarum atq; uerborum, sed mi Plance incumbe, ut belli extrema perficias: in hoc erit summa & gratia & gloria. Cupio omnia Reipub. causa: sed mehercule in ea conservanda iam defatigatus, non multo plus faueo patriæ, quam tuæ gloriæ: cuius maximam facultatem tibi dij immortales, ut spero, dedere: quam complectere obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc deterrimum bellum, periculosissimumq; confecerit. Vale.

CICERO PLANCO S. P. D. 198

20

ITa erant omnia, quæ istuc afferebantur, incerta, ut quid ad te scriberem, non occurreret. Modo enim quæ uellemus de Lepido, modo contranunciabantur, de te tamen constans fama, nec decipi posse, nec uinci: quorum alterius fortuna partem habet quandam: alterum proprium est prudentiæ tuæ. Sed accepi literas a collega tuo datas Idibus Maijs, in quibus erat te asscripsisse, a Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris: sed minus audes fortasse propter inanem læticiam literarum superiorum. Verum ut errare mi Plance potuisti (quis enim id effugeret?) sic decipi te non potuisse, quis non uidet? Nunc uero etiam iam erroris causa sublata est. Culpa enim illa, **BIS AD EVNDEM**, vulgari reprehensa proverbio est. Sim, ut scripsi

scripsisti ad collegam, ita se res habet, omni curalibere
 rati sumus: nec tamen erimus prius, quam ita esse, ut
 nos feceris certiores. Mea quidē, ut ad te sapius scri-
 psi, hæc sententia est: Qui reliquias huius belli oppres-
 serit, cum totius belli confectorem fore: quem te
 opto esse & confido futurum. Studia mea ergas,
 quibus certe nulla esse maiora potuerunt, tibi
 grata esse, quam ego putavi fore, minime miror, uides
 menterq; lator. Quæ quidem tu, si recte istic eris,
 maiora & grauiora cognosces. III. Cal. Iunias.

PLANCVS CICERONI S. D. 130

21
 Puderet me inconstantia mearum literarum, si
 non ex aliena leuitate penderent. Omnia feci,
 quare Lepido coniuncto ad Remp. defendendam, mi-
 nore sollicitudine uestra, perditis resisterem. Omnia
 ei & petiti recepi, & ultro pollicitus sum, scripsisse
 tibi biduo ante, confidere me bono Lepido esse uisum
 rum, communiq; consilio bellum administraturum. Crea-
 didi chirographis eius, affirmationi presentis lato-
 rensis, qui tum apud me cras, reconciliaremq; me Le-
 pido, fidemq; haberem, orabat. Non licuit diutius be-
 ne de eo sperare. Illud certe caui & cauebo, ne mea
 crudelitate Reipublicæ summa fallatur. Cum Isaram
 flumen, uno die ponte effecto, exercitum traduxissem,
 pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quod per-
 tierat per literas ipse, ut maturarem uenire: præsio
 mihi fuit stator eius cum literis, quibus, ne uenirem,
 denunciabat: se posse conficere per se negotium:
 interea ad Isaram expectarem. Indicabo temeraria
 riam

rium meum consilium tibi: nibilo minus ire decreueram, existimans cum socium gloriæ uitare. Putabam posse me nec de laude ieiuni hominis deliberare quicquam: & subesse tamen propinquis locis, ut si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. Ego non malus homo hoc suspicabar. At Laterensis uir sanctissimus suo chirographo mittit mihi literas, in ijsq; de sperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensq; se destitutum. in quibus aperte denunciat, uideam ne fallar: suam fidem solutam esse: Reipublicæ ne desim. Exemplar eius chirographi Titio dedi, ipsa chirographa omnia, & quibus credidi, et ea, quibus fidem non habendam putauī, Læuocippio dabo perferenda, qui omnib; interfuit rebus. Accessit eo, ut milites eius cum Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos qui præsunt, Canidios, Ruffrenosq; & cæteros, quos, cum opus erit, scietis, conclamarint uiri boni pacem se uelle, neq; esse cum ullis pugnatuuros, duobus iam consulibus singularibus occisis, tot ciuib; pro patria amisissis, hostibus deniq; omnibus iudicatis, bonisq; publicatis: neq; hoc aut uindicaret Lepidus aut sanarat. Huc me uenire, & duobus exercitiib; coniunctis obijcere exercitum fidelissimum, maxima auxilia, principes Galliæ, prouinciam cunctam summæ dementiæ & temeritatis esse uidi: mihiq; si ita oppressus essem, remq; publicam mecum perdidissem, mortuo non modo honorem, sed misericordiam quoq; defuturam. Itaq; rediturus sum, nec tanta uulnera perditis hominibus dari posse sinā, ut exercitū locis habeam opportunis, prouinciam tuear, etiam si ille exercitus descuerit, omnia ut integra seruem, da-

bo operam, quoad exercitus huc summitatis, parique
 felicitate Rempublicam hic uindicetis, nec depugna-
 re, si occasio tulerit, nec obsideri, si necesse fuerit, nec
 mori, si casus inciderit, pro uobis paratior fuerit quis
 quam. Quare hortor te mi Cicero, exercitum transi-
 endum quam primum cures, & matures prius, quam
 hostes magis corroborentur et nostri perturbentur.
 In quo si celeritas erit adhibita, Respublica in posses-
 sione uictoriae, deletis sceleratis, permanebit. Fac ut
 leas, meque diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum ci-
 uem, & ad omnia paratissimum excuso literis, qui ex
 labore in febriculam incidit assiduam, & satis mole-
 stam. Cum primum poterit isthuc recurrere, non du-
 bitabit, ne quo loco Reipublicae desit. Meam dignita-
 tem commendatam habeas, rogo. Concupiscere me
 nihil oportet: habeo te & amantissimum mei, & quod
 optavi, summæ autoritatis. Tu uideris, quantum &
 quando tuum munus apud me uelis esse. Tantum tero
 rogo, in Girtij locum me subdas, & ad tuum amorem,
 & ad meam obseruantiam.

IN te, & in collega omnis spes est, Dijs approban-
 tibus. Concordia uestra, quæ senatui declarata li-
 teris uestris est, mirifice & senatus & cuncta ciui-
 tas delectata est. Quod ad me scripseras de re agri-
 ria, si consultus senatus esset, ut quisque de te honorifi-
 centissimam sententiam dixisset, eam secutus essem:
 qui certe ego fuisset. Sed propter tarditatem senten-
 tiarum, moramque rerum, cum ea, quæ consulebantur
 ad

ad exitum non peruenirent: commodissimū mihi, Plan-
coq; fratri uisum est, uti eo, quod de nostro arbitratu
componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror ex
Planci literis cognouisse. Sed siue in senatusconsulto,
siue in cæteris rebus desideras aliquid: sic tibi persua-
de, tantam esse apud omnes bonos tui caritatem, ut
nullū genus amplissimæ dignitatis excogitari possit,
quod tibi non paratum sit. Literas tuas uehementer
expecto, & quidem taleis, quales maxime opto. Va-
le.

207 PLANCVS CICERONI S. D.

23

Nunquam mehercule, mi Cicero, me pœnitebit
maxima pericula pro patria subire, dū, si quid
acciderit mihi a reprehensione temeritatis absim. Cō-
fiterer imprudentia me lapsum: si unquam Lepido ex
animo credidissē. Credulitas enim error est magis,
quam culpa: & quidem in optimi cuiusq; mentem fa-
cillime irrepit. Sed ego non hoc uicio pene sum dece-
ptus. Lepidum enim pulcre noram. Quid ergo est? Pu-
dor me, qui in bello maxime est periculosus, hunc eas-
sum cōgēgit subire. Nam si uno loco essemus, uere-
bar, ne cui obrectatorum uiderer, & nimium perti-
naciter Lepido insensus, & mea patientia etiam ale-
re bellum. Itaq; copias prope in aspectum Lepidi, An-
tonijq; adduxi, quadragintaq; millium passuum spa-
cio relicto confedi, eo consilio, ut uel celeriter acce-
dere, uel cum salute recipere me possem. Adiunxi
hæc in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem,
in quo mora transitus esset: Vocontij sub manu ut
essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter.
Lepidus desperato aduentu meo, quem non medio-

V a cris

criter captabat, se cum Antonio coniunxit ad III. Calendas Iunias: eodemq; die ad me castra mouerunt: uiginti millia passuum cum abessent, res mihi mactata est. Dedi operam Deum benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic discessus nihil fuge simile haberet, non miles ullus, non eques, non quicquā impedimentorum amitteretur, aut ab illis furentibus legionibus interciperetur. Itaq; pridie Nonas Iunias omnes copias Isaram traieci, pontesq; quos feceram, interrupi, ut & spaciū ad se colligendum homines haberent, & ego me interea cum collega coniungo rem: quem triduo, cum has dābam literas, expectābam. Laterensis nostri & fidem & animum singularem in Rempublicā semper fatebor. Sed certe nimia eius indulgentia in Lepidum, ad hęc pericula perspicuenda fecit eum minus sagacem. Qui quidem cum in fraudem se deductum uideret, manus quas iussus in Lepidi perniciē armasset, sibi afferre conatus est. In quo casu tamen interpellatus, adhuc uiuit, & dicitur uicturus. Sed tamen de hoc mihi parum certū est. Ego magno cum dolore parricidarum elapsus sum, quia ueniebant enim eodem furore in me, quo in patriam incitati. Iracundias autem harum rerum recentis habebam, quod Lepidum castigare non desisteram: ut exstingueret bellum: quod colloquia facta improbebam, quod legatos fide Lepidi dimissos ad me in conspectum uenire uetueram: quod C. Catinium Vestimenti Tribunalis militarem missum ab Antonio ad eum cum literis, interceperam. In quo hanc capio uoluptatem, quod certe quo magis me petiuerunt, tanto maiorem his frustratio dolorem attulit. Tu mi Cicero, quod ad

huc fecisti, idem præsta: ut uigilanter, nervosq; nos, qui stamus in acie, subornes. Veniat Cæsar cum copijs quas habet firmissimas: aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus eius mittatur: cuius ipsius magnū periculum agitur. Quicquid aliquando futurum fuit in castris perditorum contra patriam, hoc omne iam conuenit. Pro urbis uero salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus utamur? Quod si uos istic non de fueritis, profecto quod ad me attinet, omnibus rebus, abunde Reipublicæ satisfaciam. Te quidem mi Cicerone indies mehercule habeo cariorem, solitudinesq; meas quotidie magis tua merita exacuunt, nequid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat iam præsentī pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. Vale. IIII. Idus Iunias, Ciuarone, ex finibus Allobrogum.

PLANCVS IMP. CONS. DES.

CICERONI S. D.

202

27

FAcere non possum, quin in singulas res, meritaq; tua tibi gratias agam. Sed mehercule facio cum pudore. Neq; enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse uoluisti, desiderare uidetur gratiarum actionem. Neq; ego lubenter pro maximis tuis beneficijs tam uili munere defungor orationis: & malo præsens obseruantia, indulgentia, assiduitate memoriam me tibi probare. Quod si mihi uita contigerit omnibus gratas amicitias, atq; etiam pias propinquitates, in tui obseruantia, indulgentia, assiduitate uincam. Amor enim tuus, ac iudicium de me, utrum mihi plus

V 3

dignis

dignitatis in perpetuum, an uoluptatis quotidie sit al-
laturus, non facile dixerim. De militum comodis fuit
tibi curæ, quos ego non potentia meæ causa (nihil
enim me non salutariter cogitare scio) ornari uolui a
senatu: sed primum, quod ita meritos iudicabam: de-
inde quod ad omnes casus coniunctiores Reipublice
esse uolebam: nouissime, ut ab omni omnium sollicitu-
dine aduersos eos, taleis uobis præstare possem, qua-
les adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra ser-
stinuimus. Quod consilium nostrum, etsi quanta sit co-
uiditas hominum, non sine causa, talis uictoria, scio:
tamen uobis probari spero. Non enim si quid in his
exercitibus sit offensum, magna subsidia Respublica
habet expedita, quibus subito impetui, ac latrocinio
parricidarum resistat. Copias uero nostras notas tibi
esse arbitror. In castris meis legiones sunt ueterane
tres: tyronum uel luculentissima ex omnibus una. in
castris Bruti una ueterana legio: altera bina: octo ty-
ronum. Ita uniuersus exercitus numero amplissimus
est, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tyroni
sit comittendum, nimium sæpe expertum habemus.
Ad hoc robur nostrorum exercituum, siue Aphyrica-
nus exercitus, qui est ueteranus, siue Cæsaris accepi-
set, æquo animo summum Reipublicæ in discrimen de-
duceremus. Aliquanto autem propius esse, quod ad
Cæsarem attinet, uidebamus. Nihil destiti eum literis
hortari: neque ille intermisit affirmare, se sine mora
uenire, cum interim auersum illum ab hac cogitatione
ne ad alia consilia uideo se contulisse. Ego tamen ad
eam Furnium nostrum cum mandatis literisq. misi, si
quid forte proficere posset. Scis tu mi Cicero, quod
ad

ad Cæsaris amorem attinet, societatem mihi esse tecum: uel quod in familiaritate Cæsaris, uiuo illo, iam tueri cum & diligere mihi fuit necesse: uel quod ipse quoad ego nosse potui, moderatissimi atq; humanissimi fuit sensus: uel quod ex tam insigni amicitia mea, atq; Cæsaris, hunc filij loco, & illius & uestro iudicio substitutum, non perinde habere, mihi turpe uideatur. Sed quicquid tibi scribo, dolentier mehercule magis quam inimice facio. Quod uiuit Antonius hodie, quod Lepidus una est, quod exercitus habent non contemnendos, quod sperant, quod audent, id omne Cæsari acceptum referre possunt. Neque ego superiora repetam. Sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se uenire, si uenire uoluisset, aut oppressum iam bellum esset, aut in aduersissimam illis Hispaniam cum detrimento eorum maximo detrusum. Quæ mens cum, aut quorum consilia a tanta gloria, sibi uero etiam necessaria ac salutaria auocarint, & ad cogitationem consulatus bimestris summo tum terrore hominum, & insulsa cum efflagitatione transfulerint, exputare non possum. Multum in hac re mihi uidetur necessarij eius, & Reipub. & ipsius causa proficere posse: plurimum, ut puto, tu quoq; cum ille tanta merita habet quanta nemo præter me. Nunquam uero obliuiscor maxima ac plurima me tibi debere. De his reb. ut exigeret cū eo, Furnio mandauī. Quod si quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem, plurimum ipsum iuero. Nos interea duriori conditione bellum sustinemus, quod neq; expeditissimam dimicationem putamus: neq; tamen refugiendo commissuri sumus, ut maius detrimentū Respublica accipere

possit. Quod si aut Caesar respexerit, aut Apricanae legiones celeriter uenerint, securos uos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas, rogo, propriamque tuum esse tibi persuadeas. Quinto Calendas Sextileis, ex castris. Vale.

M. T. C. C. FVRNIO.

S. P. D.

203

SI interest, id quod homines arbitrantur, Reipublicae te, ut instituisti atque fecisti, nauare operam, rebusque maximis, quae ad extinguendas reliquias belli pertinent, interesse nihil uideris melius neque laudabilius, neque honestius facere posse. Istamque operam tuam, nauitatem, animum in Rempublicam celeritati praeturae anteponendam censeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, idque ipsius Planci testimonio, praeterea fama, scientiaque omnium. Quamobrem si quid operis tibi etiam nunc restat, id maximopere censeo persequendum. Quid enim honestius, aut quid honesto anteponendum? Sin autem satisfactum Reipublica putas, celeriter ad comitia, quando mature futura sunt, ueniendum censeo: dummodo ne quid haec ambitiosa festinatio imminuat eius gloriae, quam consecuti sumus. Multi clarissimi uiri cum Reipublicae darent operam, annum petitionis suae non obierunt. Quod eo facilius nobis est, quod non est annus hic tibi defluens: ut si Aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil praetermittere uidebere usitati, et quasi legitimi temporis ad petendum. Video autem Planco Consule, etsi etiam sine eo rationes expedias

habe

haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam, si modo ista ex sententia confecta essent. Omnino plura me scribere, cum tuum tantum consilium, iudiciumque sit, non ita necesse arbitrabar: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse uolebam. Cuius est hæc summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quam ambitione, maioremque fructum ponere in perpetuitate laudis, quam in celeritate præturæ. Hæc eadem locutus sum domi meæ, adhibito Q. Fratre meo, & Cæcinnæ, & Calvisio studiosissimis tui, cum Dardanus libertus tuus interesset. Omnibus uidebatur probari oratio mea: sed tu optime iudicabis. Vale.

M. T. C. C. FURNIO S. P. D. 204

Lectis tuis literis, quibus declarabas, aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, quod uitatum non moleste fero. Quod de Planci & Bruti concordia scribis, in eo uel maximam spem pono uictoriæ. De Gallorum studio nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maxime excitatum sit. Sed iam (mibi crede) cognouimus. Itaque iucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. Scribis enim si in Sextilem comitia, cito te: si iam confecta, citius, ne diutius cum periculo factus sis. O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas? Tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curras: aut si iam confecta, domi tuæ sis, scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis? Non arbitror te ita sentire: omneis enim tuos ad laudem impetus noui.

V 5

Quod

Quod si, ut scribis, ita sentis, non magis te, quam de te iudicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus leuissimi, et diuulgatissimi, si ita adipiscere, ut plerique: præpropere festinatio abducat a tãtis laudibus, quibus te omnes in cælum iure & uere ferunt? Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an Proxima Praetor fias, non ut ita de Republica mereare, omni bonore ut dignissimus iudicare? Verum nescis, quam alte descendis? an pronibilo id putas? Si nescis, tibi ignosco: nos in culpa sumus. Sin intelligis, ulla tibi est praetura uel officio, quod pauci, uel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re & ego & Calpurnius homo magni iudicii, tuique amantissimus, te accusamus quotidie. Comititia tamen, quando ex his pendes, quam cum facere possumus, quod multis de causis Reipublicæ arbitramur conducere, in Ianuarium mensē protendimus. Vince igitur & uale.

27.

205 M. T. C. M. LEPIDO S. P. D.

Quod mibi pro mea summa erga te benenolentia magnæ curæ est, ut quam amplissima dignitate sis, moleste tuli, te senatui gratias non egisses, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter ciuicis conciliandæ te cupidum esse lætor. Pacem eam si a seruitute seiungis, consules & Reipublicæ & dignitati tuæ. Sin ista pax per alium hominem in possessionem impotētissimi, dominatus restitutura est, hoc animo scito omneis sanos, sit mortem seruituti antepoant. Itaque sapientius meo quidem iudicio facies, si te in istam pacificationem non interponas.

net,

nes, quæ neq; senatui, neq; populo, neq; cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex alijs, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quod optimum factum sit uidebis. Vale.

M. T. C. C. TERBONIO S. D. 205

28

Qvam uellem ad illas pulcerrimas epulas me 10
libus Martijs inuitalles: reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum his tantum negocij est, ut uestrum illud diuinum in Remp. beneficium nonnullam habeat querelam. Quod uero a te uiro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc uiuit hæc pestis: interdum, quod mihi uix fas est, tibi subtrahor. Mibi enim negocij plus reliquisti uni, quam præter me omnibus. Ut enim primum post Antonij fœdissimum discessum senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reuerti pristinum, quem tu cum ciue acerrimo patre tuo more et amore semper habuisti. Nam cum senatum ad XIII. Calend. Ianuar. trib. pleb. uocauissent, deq; alia re referrent, tota Rempub. sum complexus egiq; acerrime, senatumq; iam languentem et defessum ad pristinam uirtutem, consuetudinemq; reuocauimus, magis animi, quam ingenij uiribus. Hic dies, meaq; contentio atq; actio, spem primum populo Rom. attulit libertatis recuperandæ. Nec uero ipse postea tempus ulli intermisi de Repub. non cogitandi solum, sed etiam agendi. Quod nisi res urbanas actaq; omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem: quanquam etiam maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces ex alijs, a me pauca, et ea sumatim. Habemus fortis senatu: consulares partim timidos, partim male sentientes

tientes. Magnum damnum factū est in Seruio, Lucius Caesar optime sentit: sed quod auunculus est, non accerrimas dicit sententias. Consules egregij, praetorius D. Brutus: egregius puer Caesar, de quo spero et quidem reliqua. Hoc uero certum habeto, nisi ille metranos celeriter conscripisset, legionesq; duae de exercitu Antonij ad eius se auctoritatem contulissent, utque is oppositus esset terror Antonio: nihil Antonij sceleris, nihil crudelitatis praeteriturū fuisse. Haec tibi, etsi audita esse arbitrabar, uolui tamen notiora esse. Plura scribam, cum plus ocij habuero. Vale.

DE meo studio erga salutem et incolumitatem tuam, credo te cognoscere ex literis tuorum, quib. me cumulatissime satisfecisse certo scio: nec tibi concedo, quanquam sunt singulari in te beneuolentia, ut te saluum malint, quā ego. Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quam ipsi, hoc tempore prodesse possim, quod quidem nec destiti facere, nec desistam: et iam in maxima re feci, et fundamenta ieci salutis tuae. Tu fac bono animo, magnosq; sis, meq; tibi nulla re defuturum esse confidas. Pridie Nonas Quintileis. Vale.

DE cimo septimo Calendas Maij, quo die Paulus in castris Hirij erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obuiam processeram millia passus eo-

tum, quo maturus ueniret) Antonius legiones eduxit
duas, secundam & trigesimam quintam, & cohorte
is prætorias duas, unam suam, alteram Syllani, &
euocatorum partem. Ita obuiam uenit nobis, quod
nos quatuor legiones tyronum habere solum arbitra
batur. Sed noctu, quo tutius uenire in castra posse
mus, legionem Martiam, cui ego præesse solebam, &
duas cohortes prætorias miserat Hirtius nobis. Cū
equites Antonij apparuissent, contineri neq; legio
Martia, neq; cohortes prætoriae potuerunt: quas se
qui capimus coacti, quando eas retinere non potera
mus. Antonius ad forum Gallorum suas copias conti
nebat: neq; sciri uolebat, se legiones habere, tantum
equitatum & leuem armaturam ostendebat. Postea
quam uidit se inuito legionem ire Pansa, sequi se duas
legiones iussit tyronum: posteaquam angustias palu
dis & siluarum transiimus, acies est instructa a no
bis duodecim cohortum (nondum uenerant legiones
duæ) repente Antonius in aciem suas copias de uico
produxit, & sine mora concurrat. Primo ita pugna
tum est, ut acrius non posset ex utraq; parte pugna
ri: & sic dexterius cornu, in quo ego eram cum Mar
tiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugauit
rat legionē trigesimam quintam Antonij, ut amplius
passus centum ultra aciem, quo loco steterat, proce
sserit. Itaq; cum equites nostrum cornu circuire uel
lent, recipere me cæpi, & leuem armaturam oppone
re Maurorum equitibus, ne auersos nostros aggrede
rentur. Interim uideo me esse inter Antonianos, An
toniumq; post me esse aliquanto: repente equum im
misi ad eam legionem tyronum, quæ ueniebat ex ca
stris

stris, scuto reiecto. Antoniani me insequi: nostri, pila conijcere uelle. Ita nescio quo fato sum seruatus, quod cito sum a nostris cognitus. In ipsa Aemilia, ubi cohoris Caesaris praetoria erat, diu pugnatum est. Cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiae legionis duae cohortes erant, et cohors praetoria, pedem referre coeperunt, quod ab equitatu circuibantur, quo uel plurimum ualet Antonius. Cum omnes se recipissent nostri ordines, recipere me nouissimus cepit ad castra. Antonius tanquam uictor castra putauit se posse capere. Quo cum uenit, complureis ibi amisit, nec egit quicquam. Audita re Hirtius cum cohortibus uiginti ueteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasque omnes eius deleuit, fugauitque eodem loco, ubi erat pugnatum ad forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta, se in castra sua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea castra rediit, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quae ab Antonio erant oppugnatae. Sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit ueteranarum. Nec id tamen sine aliqua iactura cohortium praetoriarum nostrarum, et legionis Martiae fieri potuit. Aquila duae, signa sexaginta sunt relictatae Antonij. Res bene gesta est. Ad XII. Calend. Maij, ex castris. Vale.

C. ASINIUS POLLIO M. T. C.

209

S. P. D.

Minime mirum debet tibi uideri, nihil me scripsisse de Repub. posteaquam iuuu est ad arma. Nam saltus Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios, etsi nunc frequentioribus latrocinij

infra

infestior factus est: tamen nequaquam tanta in mora est, quanta qui locis omnibus dispositi ab utraq; parte scrutantur tabellarios, & retinent. Itaq; nisi naue perlata literæ essent, omnino nescirem, quid istic fieret. Nunc uero nactus occasionem, posteaquam nauigare ceptum est, cupidissime & quam creberrime potero, scribam ad te. Ne moueare eius sermonibus, quem tametsi nemo est, qui uidere uelit, tamen nequaquam perinde, ac dignus est, oderunt homines: periculum non est. Adeo enim est inuisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit. natura autem mea, & studia trahunt me ad pacis & libertatis cupiditatem. Itaq; illud initium ciuilis belli sæpe desleui. Cum uero non liceret mihi nullius partis esse, utrobique magnos inimicos habebam: ea castra summi, in quibus plane tutum me ab insidijs inimici sciebam non futurum: compulsus eo, quo minime uolebam, ne in extremis essem, plane pericula non dubitanter adij. Caesarem uero, quod me in tanta fortuna, modo cognitum uetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate & fide. Quæ mea sententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisq; maxime probaret. Quod iussus sum eo tempore, id ita feci, ut appareret inuito imperatum esse. Cuius facti iniustissima inuidia erudire me potuit, quam iucunda libertas, & quam misera sub dominatione uita esset. Ita se agit, ut rursus in potestate omnia unius sint, qui cumq; is est, ei me profiteor inimicum. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. Sed consules neq; S. C. neq; literis suis præceperant mihi, quid facerem. Unus enim post Idus Martias

tias demum a Panſa literas accepi, in quibus hortatur me ut ſenatuſi ſcribam, me, & exercitum in poteſtate eius futurum. quod cum Lepidus concionaretur, atque omnibus ſcriberet ſe conſentire cum Antonio, maxime me contrarium fuit. Nam quibus comitatibus inuito illo per illius provinciam legiones ducerem? aut ſi caetera tranſiſſem, num etiam Alpes poteram tranſuolare, quæ præſidio illius tenentur? Adduce huc, quod perferri literæ nulla conditione potuerunt. Sexcentis enim locis excutuntur, deinde etiam retinentur a Lepido tabellarij. illud me Cordube pro concione dixiſſe nemo uocabit in dubium, provinciam me nulli, niſi qui a ſenatu miſſus ueniſſet, traditurum. Nam de legione trigefima tradenda quantas habuerim conciones, quid ego ſcribam? Qua tradita, quanto pro Repub. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? Hæc enim legione noli acrius aut pugnacius quicquam putare eſſe. Quare me eum exiſtima eſſe, qui primum patris cupidiffimus ſim (omneis enim ciues plane ſtudeo eſſe ſaluos) deinde qui & me & Rempub. uindicare in libertatem paratus ſim. Quod familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius eſt. Inuideo illi tamen, quod ambulat & iocatur tecum. Quod quanti æſtmem, ſi unquam licuerit uiuere in ocio, experire. Nullum enim uestigium abs te diſceſſuſurus ſum. illud uehementer admiror, non ſcripiſſe tibi, manendo in provinciana, an ducendo exercitum in Italiam, Reip. magis ſatisfacere poſſim. Ego quidē, etſi mihi tutius ac minus laborioſum eſt manere, tamen quia uideo tali tempore multo magis legionibus opus eſſe, quam provincijs, quæ præſertim reſpectu

aperari nullo negotio possunt, constitui, ut nunc est
cum exercitu proficisci. Deinde ex literis, quas Pan-
samibi misit, cognoscēs omnia: nam earum tibi ex-
emplar misi. XVII. Calend. Aprilis, Cordubæ. Vale.

C. ASINIUS POLLIO M. T. C.

S. P. D.

210

32

BAlbus quæstor magna numerata pecunia, magno
pondere auri, maiore argenti coactio de publicis
exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito,
duxit, se a Gadibus, & triduum tempestate retentus,
ad Calpen Calend. Iunijs traiecit sese in regnum Bo-
gudis, plane bene peculiat. His rumoribus utrum
Gades referatur an Romam (ad singulos enim num-
cios turpissime consilia mutat) nondum scio: sed præ-
ter furta & rapinas, & uirgis cæsos socios, hæc
quoque fecit, ut ipse gloriari solet, eadem quæ C. Cæ-
sar, ludis, quos Gadibus fecit. Herennium Gallum his-
trionem summo ludorum die, annulo aureo donatum
in quartū decimum sessum deduxit: tot enim fecerat
ordines equestris loci. Quatuor uiratum sibi proroga-
uit: comitia biennij biduo habuit, hoc est, renuncia-
uit: quos ei uisum est, exules reduxit, non horum tem-
porum, sed illorum quibus a seditiosis senatus truci-
tus aut expulsus est, Sexto Varo Proconsule. Illa ue-
ro iam ne Cæsaris quidem exemplo, quod ludis præ-
textam de suo itinere ad L. Lentulum Proconsulem so-
licitandum posuit. Et quidē cum ageretur, fleuit, me-
moriam rerum gestarum commotus. Gladiatorijs au-
tem ob Fadum quendam militem Pompeianum, quia
cum depressus in ludum his gratis depugnasset, auto-
rari

X

rari

rari sese nolebat, & ad populum confugerat: prius
Gallos equites immisit in populum (conecti enim sunt
lapides in eum cum arripcretur Fadius) deinde adstra-
tum defecit in ludo, & uiuum combusit: cum quo-
dam pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad
tergum reiectis inambularet, & illi misero quiritati,
Cuius Romanus natus sum: responderet: Abi nunc, po-
puli fidem implora. Bestijs uero ciueis Romanos, etia-
am in his circulatorem quendam auctionum, notissi-
mum hominem Hispani, quia deformis erat, obiecit.
Cum huiusmodi portento res mihi fuit. Sed de illis
plura coram. Nunc, quod restat, quid me uelitis so-
cere, constituite. Tres legiones firmas habeo, quo-
rum unam uigesimali octauam cum ad se initio belli
accerfisset Antonius hac pollicitatione, quo die in ca-
stra uenisset, denarios quingenos singulis militibus do-
turum: in uictoria uero eadem premia, quae suis legio-
nibus (quorum quis ullam fidem, aut modum futurum
putauit) incitatissimam retinui, & gre mebercule, nec
retinuisssem, si uno loco habuisssem, utpote cum sin-
gulae cohortes quandam seditionem fecerint. Relo-
quas quoque legiones non destitit literis, atque infinitis
pollicitationibus incitare. Nec uero minus Lepidus
ursit me, & suis & Antonij literis, ut legionem tri-
gesimali mitterem sibi. Itaque quem exercitum ne-
uendere ullis praemijs uolui, nec eorum periculorum
metu, quae uictoribus illis portendebantur, dimittes-
re, debetis existimare retentum & conseruatum me
publicae esse, atque ita credere, quodcumque imperator
tis facturum fuisse, si quod non iussistis fieri. Nam &
prouinciam in ocio, & exercitum in mea potestate

te tenui: finibus meæ provinciae nusquam exceſſi. Miſi
 litem non modo legionarium, ſed ne auxilium quĩ
 dem ullum quoquam miſi: & ſi quos equites deceden-
 tes naſtus ſim, ſupplicio affeci. Quarum rerũ fructum
 ſatis magnum Republica ſalua tuliffe me putabo. Sed
 Reſpublica ſi me ſatis nouiſſet, & maior pars ſenatus
 maiores ex me fructus tuliſſet. Epistolam, quam Bal-
 bo, cum etiamnum in provincia eſſet, ſcripſi, legendã
 tibi miſi: etiam prætextam, ſi uoles legere, Gallum
 Cornelium familiarem meum poſcito. VI. Idus Iunias
 Cordubæ. Vale.

C. ASINIVS POLLIO M. T. C

S. P. D.

211

33

Q uod tardius certior fierẽ de prælijs apud Mu-
 tinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabel-
 larios nouem dies retinuit. Tameſi tantam calamita-
 tem Reipub. quam tardiſſime audire, optandum eſt:
 ſed illis quidem prodeſſe nihil poſſum, neq; mederi.
 atq; utinam eodem ſenatuſconſulto, quo Plancum &
 Lepidum in Italiam accerſiſtis, me quoq; iuſſiſſetis ue-
 nire: proſpecto non accepiſſet Reſpublica hoc uulnus,
 quo ſi qui lætantur in præſentia, quia uidentur & du-
 ces et ueterani Caſaris partium interiſſe: tamen poſt
 modũ neceſſe eſt doleant, cum uarietatem Italiae reſpe-
 xerint. Nam & robur & ſoboles militum interiit: ſi
 quidem, quæ nunciantur, ulla ex parte uera ſunt: Neq;
 ego non uidebam, quanto uſui Reipublicæ eſſem futu-
 rus, ſi ad Lepidum ueniſſem: omnem enim cunctationẽ
 eius diſcuſſiſſem, præſertim adiutore Planco. Sed ſcri-
 benti ad me cuiusmodi literas, quas leges, & concio-
 nibus

X 2

nibus

nibus uidelicet, quas Narbone habuisse dicitur, simi-
larem plane necesse erat, si uellem comneatum per
provinciam eius iter faciens habere. Præterea uere-
bar, ne si ante, quā ego incepta perficerem præliū con-
fectum esset, piū meum consilium raperent in contra-
riam partem obrectatores mei, propter amicitiam,
quæ mihi cum Antonio non maior tamen quam Pla-
co fuit. Itaq; a Gadibus mense Aprili binos tabella-
rios in duas naueis imposui, & tibi & Consulibus &
Octauiano scripsi, ut me faceretis certiores, quon-
modo plurimum possem prodesse Reipublicæ. Sed na-
rationem in eo, quo die prælium Pansa commisit, eo-
dem a Gadibus naues profectæ sunt. Nulla enim post
hiemem fuit ante eam diem nauigatio. Et hercule
lōge remotus ab omni suspitione futuri ciuilis tumultus,
penitus in Lusitania legiones in hibernis colloca-
ram. Ita porro festinauit uterq; conflagrare, tanquam
nihil peius timerent, quam ne sine maximo Reipub-
licæ detrimento bellum componeretur, sed si properan-
dum fuit, nihil non summi ducis consilio gessisse Hir-
tium uideo. Nam hæc mihi scribuntur ex Gallia Lo-
pidi, & nunciantur, Pansæ exercitum concisum esse,
Pansam ex uulneribus mortuum, eodem prælio Mar-
tiam legionem interiisse, & L. Fabatū, & C. Per-
duccum, & D. Carsulenum: Hirtiano autem prælio
& quartam legionem, & omnes per equites Anto-
nij casas. Item Hirtij quartam, cum castra quoq; An-
tonij cepisset, a quinta legione concisam esse. Ibi Hir-
tium quoq; periisse, & Pontium Aquilam: dici etiam
Octavianum cecidisse. Quæ si (quod Dii prohibeant)
uera sunt, non mediocriter doleo, Antonium turpiter

Mutinæ obseſionem reliquiſſe, ſed habere equitatum ac legiones ſub ſignis armatas treis, et Pupilli Bagies ni unam, inermis bene multos. Ventidium quoq; ſe cum legione ſeptima, octaua, nona coniunxiſſe: ſi nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema, & non modo nationes, ſed etiam ſeruitia concitaturum. Parā mam direptam: L. Antonium Alpeis occupāſſe. Quæ ſi uera ſunt, nemini noſtrum ceſſandum eſt, neq; expectandum quid decernat ſenatus. Res enim cogit huic tanto incendio ſuccurrere omnis, qui aut imperium, aut nomen deniq; populi Romani ſaluum eſſe uolunt. Brutum enim decem & ſeptem cohortes, et duas non frequentes tyronum legiones, quas conſcripſerat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito, quin omnes, qui ſuperſint de Hirtij exercitu, confluāt ad eū. Nam in delectu non multum ſpei puto eſſe: præſertim cum nihil ſit periculoſius, quam ſpaciū confirmandi ſeſe Antonio dari. Anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat, propterea quia frumēta aut in agris aut in uillis ſunt. Itaq; proximis literis conſilium meū expedietur. Nam neq; deeſſe, neq; ſupereſſe Reipublice uolo. Maxime tamen doleo, adeo & longo & in fiſto itinere ad me ueniri, ut die quadageſimo poſt, aut ultra etiam q̄ facta ſunt, omnia nuncienſur. Vale.

M. LEPIDVS IMP. ITEM PONT.

MAX. S. D. SENAT. POPVL.

PLEBIQVE ROMANAE. 212

34
Siuos liberique ueſtri ualetis, bene eſt, ego quoq; ſualeo. Deos homineſq; teſtor Patres conſcri-

X 3

pti,

pti, qua mente & quo animo semper in Republica
fuerim, & quam nihil antiquius communi salute ac li-
bertate iudicarem: quod uobis breui probassem, nisi
mibi fortuna proprium consilium extorsisset. Nā ex-
ercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus conser-
uandis, communiq; pace, seditione facta retinuit: meq;
tātā multitudinis ciuium Romanorum salutis atq; in-
columitatis causam suscipere, ut uere dicam, cōegit.
In qua re ego uos patres conscripti oro atq; obsecro,
ut priuatis offensionibus omisitis, summā Reipub. con-
sulatis, neue misericordiam nostram, exercitusq; nos-
stri, in ciuili dissensione, sceleris loco ponatis. Quod si
salutis omnium ac dignitatis rationem habueritis, me-
lius et uobis & Reipub. consuletis. Data. III. Calen.
Aprilis, a Ponte Argenteo. Valet.

M. LEPIDVS IMP. ITEM PONT.

MAX. M. T. C. S. P. D.

35
S I uales, bene est, ego quoq; ualeo. Cum audissem
Antonium cum suis copijs, prēmiso Lucio Anto-
nio cum parte equitatus in prouinciam meam uentire:
cum exercitu meo a confluente Rhodano castra ma-
ui, ac contra eos uenire institui. Itaq; continuis ti-
neribus ad Forum Vocontium ueni, & ultra, castra
ad flumen Argenteum contra Antonianos feci. P. Ven-
tidius suas legiones treis coniunxit cum eo, & ultra
me castra posuit: habebat antea legionem secundam,
et ex reliquis legionibus magnam multitudinem, sed
inermium. Equitatum habet magnum. Nam omnis ex
prælio integer discessit, ita ut sint amplius equitum
trio

triginta millia. Itaq; ad me cōplures milites, et equites ab eo transierunt: & in dies singulos eius copiae minuiuntur. Syllanus & Culleo ab eo discesserūt. Nos etsi grauitur ab his lēsi eramus: quod contra nostrā uoluntatem ad Antonium ierant: tamen nostrae humanitatis & necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur, neq; in castris habemus, neque ulli negotio praefecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec senatui, nec Reipublicae decrimus quae postea egerimus, faciam te certiores. Etsi omni tempore summa studia officiaq; multo inter nos certatim constituerunt pro nostra inter nos familiaritate, et proinde diligenter ab utroq; cōseruata sunt: tamen non dubito, in tanto & tam repentino motu Reipublicae, quin nonnulla de me falsis rumoribus a meis obrectatoribus me indigna ad te delata sint, quae tuum animum magnopere mouerent pro tuo amore in Rempublicam. Ea te moderate accipisse, neq; temere credendum iudicasse, a meis procuratoribus certior sum factus: quae mihi ut debent gratissima sunt. Memini enim & illa superiora, quae ab tua uoluntate, profecta sunt, ad meam dignitatem augendam & ornandam: quae perpetuo animo meo fixa manebunt. Abs te mi Cicero magnopere peto, si meam uitam & studium diligentissime superioribus temporibus in Republica administranda, quae Lepido digna sunt, perspecta habes, ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore expectes: & proinde tua auctoritate me tuendum existimes quo tibi plura tuo merito debeo. Vale XII. Calendas Iulias, ex castris, ex Ponte Argenteo.